QVÆSTIO
DE
ORIGINE FORMArum Substantialium.

A

M. ANDREA PROGA publicè ad disputandum proposita, in Alma Academia Cracouieñ.

In Mense Septem. Die 25. Hora 11.

Permissu M. D Rectoris.



CRACOVIÆ,
In Officina Matthiæ Andreouiensis, Anno 1619.

ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΚΛΥΤΗΝ ΑΚΑΔΗΜΙΑΝ Η ΕΝ ΤΗ ΚΡΑΚΟΠΟΛΙ.

Τηλαυγὲς ΙΑΓΕΛΩΝΙΟΝ ΛΥΚΑΙΟΝ,
Ἐν τῇ ΣΑΡΜΑΤΙᾼ τρόφῳ μαχητῶν,
Γεννήτειρ' ἀρετῶν καλοῦ τε παντὸς,
Καὶ πλάστειρα νοῶν μάκαιρα σφόδρα;
Ἀδήλου Βορέω μέρη σκοτεινὰ
Ἦσαν, πληρέα καὶ γνόφων μελάνων,
Ἀλλ' ἐξήγαγες εὐτυχῶς σὺ πάντα,
Ἅπτον λαμπάδα παιδείας φαεινὴν,
Σὺ μήτηρ πραπίδων καλοῦ φιλουσῶν,
Σὺ κ' εἤλιος ἀρκτικοῦ πόλου τε,
Σοὶ μὲν γαῖά τε Σαρματῶν ὀφείλει
Τοσοῦτον πατρὶς, ὅσσον οὐ δύναιται
Εὐεργήμασι ῥαδίως τίσασθαι.
Υἱοὶ ὡς ὄφελον μιμῶεν αἰὲν
Σοῦ τ' ἐντάλματα πράξεων δικαίων
Σοῦ γε, καὶ δι' ὁδοὺς τεὰς ἵκοιεν,
Ἡ βοῶσα, μένος κ' ἔχουσα τ' εἶθε
Ἄνθους ἡλικίας μένοις ἀτέρμων,
Καὶ φήμην σκεδάσοις ἄμετρον, εὐρὺν
Εἰς κόσμον, μετέωρα καὶ πρὸς ἄστρα,
Οἰκηθεῖσα φρεσὶν σοφῶν μεδόντων.
Σοὶ ταῦτ' εὔχομαι εὐμενεῖ νόῳ τῷ.
Σὺν εὐχαῖς περίφρονος θυμοῦ δὲ σῆμα.
Προσφέρω θεραπῶν τ' ἀεὶ τε δοῦλος
Σοῦ, μορφῶν γενέτης ὕπερ, τὸ σμικρὸν
Κἠ φαῦλόν τ' ὑπόμνημα οὐσιωδῶν.
Ἔργον οὐκ μεγαλότητος ἐστὶν,
Πᾶσιν οὔτ' ἐπίδηλον, ἄξιον σοῦ,
Τὴν σὴν πείθομαι ἀλλὰ σεμνότητα
Μοῦ μᾶλλον φρένας ἢ βλέπειν τόδ' οὖν
Μητέρες φιλέουσιν ὥστε ποιεῖν.



QVAESTIO.

V. Quæuis forma ſubſtantialis, pars compoſiti Naturalis, in ſuo genere ſimplex, educatur de potentia Materiæ, virtute cauſæ ſecundæ particularis, mediantibus diſpoſitionibus, an autem ab aliquo alio agente extrinſeco?

Conclusio Prima.

DAri Formam Substantialem, quæ sit pars Compositi Naturalis, sentiendum est cum Aristotele, contra antiquorum opinionem erroneam.

Corollaria.

1. *Nomine Formæ Substantialis, hic nihil significatur aliud, quàm Substantia partialis; quæ rei dat esse, eam in certa specie constituens, ex quâ & materiâ vnitùs constituitur integra Substantia ac per se vna.*

2. *Præter Formas Substantiales Physicas, quæ sunt actus & perfectiones Compositi, dantur Formæ aliæ, quæ, quia sunt à materiæ concretione seiunctæ, non considerantur à Physico, nisi quâ sunt corporum cælestium Motus causæ efficientes.*

3. *Nullum Compositum Physicum potest excogitari sine Forma Substantiali informante, quæ potiùs est pars præstantior Quiditatis Substantiæ corporeæ, quàm tota eius quiditas. Ex quo manifestè patet eorum opinionem, qui in orbibus cælestibus, solâ materiâ contenti, Formam esse negant, omninò falsam esse, quemadmodum & eorum, qui solam Formam expertem Materiæ eisdem tribuunt.*

4. *Acci-*

4. *Accidens posse fungi vice Formæ Substantialis, ita vt ex eo & Materiâ vnũ Ens per se & Substantiale componatur, vt pleriq; antiquorum absurdè docebant: est contra sanam Philosophiam.*

5. *Ad Formam Substantialem, de qua disputatio instituta in præsenti, Materia habet appetitum, ita, vt semper sub ea esse & ab ea perfici desideret; atq; adeò nulla ratione potest existere priuata omni Formâ, posito, quod non negandum, eam habere, vt dicitur communiter, actum Entitatiuum.*

Conclusio II.

Forma Substantialis, quæ est pars Cõpositi Physici essẽtialis, est in suo genere simplex.

Corollaria.

1. *Forma pars Compositi dicitur simplex, non eò, quòd nulla in ea Compositio Metaphysica inueniatur, sed quod ab ea remoueatur compositio Physica, qualis est in corporibus naturalibus.*
2. *Simplicitas verò, supra eam rem, quæ simplex denominatur, nullam penitus perfectionem addit positiuam, sed solam negationem Compositionis.*
3. *Formis mistorum non officit quidpiam, quo minùs sint simplices; posito etiam vt quidam arbitrantur per-*

manere in eis elementa integra, ſaluis formis ſubſtantialibus eorum, licet tenendum ſit nihilominus contrarium.

4. *Formæ plures partiales in corpore non ſimplici quamuis reperiantur, non tamen inde quiſpiam collegerit, ob id earum derogari ſimplicitati.*

5. *Quin etiam Corporeitatis Forma, quæ, non eſt ratio conuincens, cur omnino exterminetur, eadem, qua aliæ, gaudet ſimplicitate.*

Concluſio III.

Quædam Formæ ſubſtantiales, nimirū illæ, quæ Materiales dicuntur, de potentia Materiæ educuntur.

Corollaria.

1. *Educi Formam de potentia Materiæ, eſt fieri Formā in Materia, ita vt ab ea dependeat in fieri & eſſe, ſeu, vt idem alij, verbis clarius explicetur, fieri eadē actione, quā compoſitum, ex Materia præiacente, quæ non fit per illam actionem.*

2. *In creatione nullo modo poteſt dici Formam educi de potentia Materiæ, ſiquidem creatio fit ex nihilo, ita vt nullam Materiam præexiſtentem ſupponat.*

3. *Quamuis autem Formas Materiales de potentia Materiæ*

teriæ, teneamus educi, tamen actu vel secundum quasdam inchoationes & gradus imperfectos, vt quidā non conuenienter rectæ rationi asserebant, in Materia non præexistunt.

4. *Porrò neq; è contra quis inferat, quoniam prædictis modis Formæ substantiales in Materia non includantur, non ex Materia illius educi; quod quidam succūbentes difficultati quæsiti; non dubitârunt, asserere.*

5. *De Formis aut Accidentarijs nemini debet in mentem venire ambigere, eas ex potentia Materiæ educi, quæ licet eis est subiectum idoneum, nihilominus tamen propter suam imperfectionem, requirunt Formam substantialem, quæ eas ordine præcedat.*

Couclusio IIII.

Formæ Substantiales, quæ de potentiâ Materiæ educuntur, á particularibus secundis agentibus, mediātibus dispositionibus, educuntur.

Corollaria.

1. *Falsum est Causas secundas solùm disponere Materiam ad gradum perfectissimum & proximum Formæ substantiali, ipsam autem ab iis minimè attingi sed vel à solo cælo immediatè in Materiam à causa particulari*

ticulari præparatam & sufficienter dispositam imprimi, vel ab aliqua Intelligentia creari.

2. Non tamen inficiandum est, Cælum tanquam causam Vniuersalem & Aequiuocã concurrere cum secundis causis particularibus ad producẽdos effectus merè naturales, illis tribus veluti instrumentis, Motu, lumine, & influxu quodam occulto.

3. Ad hæc neq; illud dubium esse cuiquam debet, ab eodem Cælo immediatè citra agentia particularia produci certa entia, vt sunt animalia imperfecta, ex putredine, quæ non differre specie ab iis, quæ generis eiusdem sunt producta via ordinaria ab agentibus particularibus, asserendum est.

4. Quanquam autem verum sit causam primam cum causis inferioribus omnibus cõcurrere ad quosuis producẽdos effectus immediatè, vt dicunt, virtutis & suppositi immediatione, tamen causæ particulares cum ex materiâ dispositâ & requisitis qualitatibus affectâ educunt Formam Substantialem, verè & propriè producunt Compositum, ita vt illæ in rigore dicantur generare.

5. Non tamen placet mihi illorum modus loquendi, qui quòd Causa prima semper cum omnibus causis dictâ ratione concurrat, persuadent sibi, Causas secundas esse primæ instrumenta; quamuis enim ab ea necessariò dependeant, tamen in suo genere obtinent veram

efficien-

efficientiam & Causalitatem germanam, quam in nullo genere Instrumentorum reperiri clarum est.

Conclusio V.

Sola anima rationalis, quamuis sit vera Forma hominis, nõ educitur de potẽtiâ Materiæ, sed omninò à Deo, cũ infũditur in corpus organis cõueniẽtibus præditũ, creatur.

Corollaria.

1. *Consideratio Animæ Intellectiuæ non remouetur à Physico prout vnitur corpori & in eo functiones suas administrat; quinetiam, quo ad naturam & essentiam suam, spectat ad naturalem Philosophiam; sed eandem considerare secundum attributa, quæ ipsi à materiâ separatæ cõueniunt, transcẽdit fines physiologiæ.*
2. *Quamuis Forma hominis à Deo immediatè creatur, verè tamen dicitur & propriè Homo generare hominum; siquidem præcipuus finis est generationis Compositum, quod ab Homine generatur; Sufficit autem vt generans dicatur aliquid generare sibi simile in specie, vt attingat formæ cum Materia cõiunctionẽ.*
3. *Manifestum est quoq; Animam Intellectiuam, cum non educatur ex potentiâ Materiæ, esse indiuisibilem, quod non solo fidei habitu infuso cognoscitur, verum*

etiam lumine naturali Intellectus potest probari, vt & eandem esse immortalem.

4. *Anima Intellectiua licet non educatur de Materiâ, tamen verè habet illas potentias, quae in inferioris ordinis creaturis formarum loco reperiuntur; vt pote Sensitiuam, Vegetatiuam, & loco motiuam; & praeter has, suas peculiares, Intellectum & Voluntatem, cum eo tamen discrimine, quod operationes illarum priorum exercere non potest, nisi in corpore, harum autem, etiam separata.*

5. *Turpissime errauit Auerroes, cum Animam Intellectiuam negat esse veram & propriam Formam hominis, cumq; fingit, vnicum tantùm Intellectum dari, separatum re à singulis hominibus, sed assidentem & coniunctum per imagines in cuiusq; phantasia.*

Sub faelicibus auspiciis Magnifici & Admodum R. ndi Domini, IACOBI IANIDLOVII, Iuris vtriusq; Doctoris & Profess. S. Sedis Apostolicae Protonotarij, Can. Sand. Acad. Rectoris & Procanc.





